

Hum primum Ephesinum, Chalcedonense in secunda definitione de fide, Lateranense sub Innocentio III. et constat (*ex c. firmiter de summa Trin. et fide cat.*), nec non Florentinum Concilium in literis unionis definitur. Cui sententiae omnes Ecclesiae Patres, et catholici tractatores unanimes suffragati sunt, quos inter, haec sunt verba Gregorii: *Verbum carnem dicens factum, non immutando, quod erat, sed suscipiendo quod non erat, nostra auxit, sua non minuit.* Augustinus (*ser. 27. de Tr.*) inquit: *Ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut neque ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine brevitatis illa premeretur.* Sanctus Leo pluribus in locis id docens ad hunc modum (*in serm. de Trin.*) loquitur: *Nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio.* Verum elegantissima, et erudita eisdem Leonis illa sunt verba: *Salva proprietate utriusque substantiae, et in unam coeunte personam suscipitur a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, et ab aeternitate mortalitas: et in sermone tertio: Sit forma servi formam Dei non admittit, ita formam Dei forma servi non minuit.* Basilii denique (*in hom. de nativ.*) ardentis ferri induta similitudine inquit: *Ferrum nigrum, et frigidum quidem est, et quamvis ex igne splendens, tamen sua nigredine ignem non inficit, et dum ardet, sua frigiditate flammam non destruit.* Tandem ut ad id, quod praedicti Doctores de electri natura dicunt, revertamur, his, quae haecenus dixere, addunt Isidorus, et alii, electri naturam veneno tam esse contrariam, ut illo praesente continuo strepat, ac veluti effervescat contra illud, quod a Christo factum certissimum in morte Lazari, ubi peccati damna aetior vitae contemplatus indoluit, et ut scribit Ioannes (c. 11): *Infrenuit spiritus, et tubavit senectipsum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA III.

Onare Deus naturam sibi induerit humanam, et cur potius Filium, quam Patrem, aut Spiritus sanctus illam accepit, explicatur.

Cum variis signis apud antiquos vis, et potestas amoris significata fuerit, singulare est, quo ille spicas, et flores una manu, et altera piscem tenens pingebatur, ut inde quiddam terrarum limilibus, aut maris litoribus clauderet, amori tributum pendere, et illius imperio servire cognosceremus. Sed angusta haec eius ditio, et nimis brevis circumscripta limilibus potentia fuit, cum illam adeo late patere noscamus, ut non solum terrae marique leges imponat, sed ipsi quoque coelo tantum imperet tributum, ut ex tribus, quae in Deo sunt personis, unam sibi dari praecipiat. Quod cumulate ob ingentem in hominum genus amorem a Deo praestitum esse, Ioannes

Evangelista his verbis memorat: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Et licet Deus posset nostrae subvenire calamitati, angelam mittens, penes quem esset tanquam legalum facultas remittendi peccata, noluit tamen divina benignitas ab alio, quam a se ipso id fieri, ut ipse nos redimeret, qui creaverat. Unde sunt verba Isaiae (c. 63): *Non legatus, neque angelus, sed ipse salvavit nos.* Cuius beneficii amplitudinem miratus Ioannes Damascenus (*orat. de nativ.*) inquit: *Tantus Domine in me tuus amor fuit, ut non per angelos, aut aliam creaturam salutis meae negotium obieris, verum ut primam sectionem, sic etiam instaurationem ipsemet efficiendam duxeris.*

Causas vero, ob quas Deus per se ipsum nostris succurrere miseris voluit, personam suam humanae naturae supponens, varias, et lectu dignissimas sancti Patres, atque Doctores assignant. Athanasius explicans illa Christi verba: *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo, convenientissimum fuisse ait, ut quae manus hominem de limo terrae formaverat, sicut lob (c. 10) dicit: Manus tuae fecerunt me, et plasma-verunt me: ipsa quoque iam creatum, a peccato, et morte perpetua per medium redemptionis liberaret: verba Athanasii sunt: Dedit omnia in manus eius Pater, ut quemadmodum per eum facta sunt, ita in eo omnia resti possent.* (*Serm. quoque adv. Ayr.*) idem eleganter et erudite docet, hominum redemptorem alium praeter Deum esse nequaquam convenisse, ne supremus ille cultus, qui summo humani generis instauratori debetur, alicui quantumvis excelsae creaturae deferretur: *Merum, inquit, hominem id facere indecorum erat, ne homines habentes Dominum, hominis cultores efficerentur.* Ex Latinis autem Patribus Augustinus (*tractat. 8*) diversis in locis varias adducit rationes, sed (*in tractatu super Ioannem*) ait, Deum ideo humanam suscepisse naturam, quod conveniens fuerit eiusdem naturae esse vitem, cuius sunt palmites, vel ut theologi loquuntur, quod oportuerit hominibus dari caput homogeneum, id est eiusdem speciei, quod ille his verbis exprimit: *Unius naturae sunt vitis, et palmites: cum ergo esset Deus, cuius naturae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cuius nos palmites esse possumus.* Huius rationem aliam adstruit Augustinus (*in Enchirid.*) dicens: *Propter hominem factus est homo, ut uterque sensus hominis in ipso beneficiaretur, et reficeretur oculus cordis in eius divinitate, et oculus corporis in eius humanitate.* Paulo post idem ait Deum factum hominem, ut ad amorem Dei homo facilius exaltaretur, cum naturae similitudine amorem conciliare soleat. *Ut familiaris, inquit, diligeretur ab homine Deus, in similitudine hominis Deus apparuit, et (sup. Psal. 35): Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dignaretur sequi vestigia Dei.* Sanctus Thomas (*3. p. q. 3. art. 3*), Deum humanitate vestitum censet, ut infinitam bonitatem suam declararet: nam cum bonitatis sit proprium se alteri communicare nullum maius esse poterat illius bonitatis argumentum, vel manifestus iudicium, quam summa naturae suae communicatio, quam per

nostrae carnis assumptionem exhibuit: *Pertinet, inquit Thomas, ad rationem boni, ut se aliis communit; unde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se communit; hoc autem factum est per hoc, quod naturam sibi adiunxit. Nec solum a Dei bonitate, sed ab eius etiam summo amore incarnationis fluxisse beneficium scribit Thomas, quod ab Augustino desumptum ita commemorat: Quae maior est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? Elegans, et erudita Ioannis Damasceni ratio est, dicentis, Deum quod unitatis sit amantissimus, sapienter voluisse naturam sibi coniungere humanam, in qua tanquam omnium rerum creaturarum compendio quiddam in mundo est, invenitur: sicut dixit Gregorius (*homil. de Ascens.*): *Omni creaturae aliquid habet homo: verba Damasceni sunt: Creatoris, ac gubernatoris voluntas hoc tulit, ut unigenito, et consubstantiali filio suo divinitatis, atque humanitatis, ac per eum conditarum omnium rerum connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus; quod Pauli (ad Ephesios cap. 1) haec verba manifeste docent, Instaurare omnia in Christo: in cuius loci expositione s. Hieronymus ex Graecae vocis proprietate, quae Latino verbo instaurare respondet, interpretatur recapitulare, quo verbo, cum omnia in Christo congesta, et in unum concluda declaratur, patet Deum personae suae, ut advertit Irenaeus (*lib. 4. c. 18*), assumptione nostrae carnis, quiddam creatum in coelo, et in terra est, univisse: ideo enim homo a Graecis microcosmos, id est parvus mundus nuncupatus fuit. Aliam incarnationis causam sanctus Leo Papa praedictis adiungit, ne videlicet quartus productionis, et generationis modus ad universalitatis perfectionem desideraretur. Primum enim modus generationis fuit, quo Deus hominem ex limo terrae formavit. Secundus, quo mulierem sine hominis consortio de coela compexit. Tertius ex homine, et muliere, quo universa hominum fit propagatio. Quartus igitur modus excellentior cum deesset, hominis ex muliere sine alterius hominis accessu productio, ut generationum perfectio completeret, Deus factus homo est, ne aliquid perfectionis in eius operibus deesse posse videretur: scriptum est enim (*Deut. 32*): *Dei perfecta sunt opera.* Praeterea ipsa humani generis redemptio, in Deo fieret homo, imperfecta esset: nam licet Augustinus (*lib. 10. de Trin. et lib. de Ag. Christi*), eos stultos appellet, qui sentiant hominem induisset. Stulti, inquit, sunt, qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem, debet intelligi de redemptione imperfecta. Nam, si de perfecta loquamur, non poterat Deus iuxta suae iustitiae integritatem restaurare genus humanum, nisi unione hypostatica hominis naturam sibi coniungeret, quemadmodum sancti Patres communiter arbitrantur. Ex quibus Anselmus (*in lib. cuius inscribitur, Cur Deus homo*) id docet his verbis: *Satisfactionem neque poterat facere nisi Deus, neque debet nisi homo; necesse est ergo eam faciat Deus homo.* Ambrosius (*in Lucam*) idem**

tenet in hunc modum: *Nullus homo tanti esse potuit, qui totius peccata deleret mundi.* Basilii explicans versiculum Davidis: *Frater non redimit, redimet homo, inquit: Non homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus, quia nullus altius poterat condignum offerre pretium.* Quam sententiam Leonis Papae verba confirmant, (*in serm. de Trin.*): *Si non esset Deus, non afferret remedium.* Cuius assertionis, et veritatis illud est fundamentum, iuxta theologorum doctrinam, quod perfecta satisfactio, qualem Christus Patri suo pro nobis exhibuit, postulabat ex natura sua infinitam in ipso satisfaciende dignitatem, ut ab eo pretium suis operibus communicaretur infinitum, et par debito fieret satisfactio. Unde necesse omnino erat, ut ad id praestandum aliqua persona hominis, vel angeli naturam indueret.

Haecenus causas incarnationis, nunc reliquam est, quam ob rem Filium potius, quam Patrem, vel Spiritus sanctus id opus agendum suscepit, discutiamus. Sed, antequam id examinetur, statuendum est, tanquam catholicae fidei verissimum dogma, solam Filii personam in terras descendisse, ut particeps nostrae fieret humanitatis. Ad quod decidendum, coactum adversus haereticos Patripassianos Concilium fuit, qui non ab una, sed a tribus divinis personis hominis suscepam fuisse naturam delirabant, ut Socrates memoravit. Horum stultissimam, et impiam blasphemiam ortam suo tempore scribit Anselmus, et Concilio Rhemensis fuisse damnatam, quam pariter Quinta Synodus, et capitulum *Firmilae, de summa Trinitate, et fide Catholica* condemnavit. Huius erroris duo erant fundamenta, quae ut labefacta remaneant, breviter referam. Primum est, quod, ut docet Augustinus (*in Enchirid. c. 38*), et vulgatum theologorum axioma suadet, opera Trinitatis ad extra sunt indivisa; sed cum incarnationis opus sit extra divinam naturam, necessarium erat, ut omnibus tribus eiusdem naturae suppositis commune haberetur. Respondet s. Thomas (*3. p. q. 3. ar. 4*), dupliciter incarnationem accipi posse, nempe pro ipso incarnationis opere, et actione, quae sublimis illud, et occultum mysterium factum fuit: tunc verissimum est humanitatis nostrae assumptionem, non solum ad unam, sed ad alias duas pertinuisse personas, quoniam tam Pater, quam Filius, et Spiritus sanctus, eius operis causa extiterunt. Aliter etiam accipitur pro termino, et fine actionis, pro ipsa videlicet hypostatica unione, in qua formaliter incarnatio consistit: quo sensu non fuit tribus divinis personis communis, sed tantum ad secundam personam, id est Filium, pertinuit. Quod aetate sancti Dionysius (*de div. nomin.*) his verbis docuit: *Mysterium incarnationis pertinet ad theologiam discretam.* Quae verba ut facilius intelligantur, notare iuvat, theologiam a Dionysio ibi vocari discretam metaphoricè, sumpta similitudine a quantitate, quam Philosophus (*6. Phys.*) in continuam partitur alque discretam: continua punctum habet utriusque partem commune, et discreta illi caret; ideoque multas in quantitate continua, et pluralitas in ea, quae discreta est, efflucit. Unde ut significaret Dio-

nysius, naturam hominis non fuisse immediate Dei naturae coniunctam, prout in Patre, Filio, et Spiritu sancto est eadem algue communis, neque prout illius naturae virtute tres personae sunt inter se una eademque substantia simplicissima, sed uni tantum Trinitatis personae immediate unitam fuisse humanitatem, quatenus illa personae ab aliis duabus distinguitur: ideo ingeniose, et optime dixit Dionysius, mysterium Incarnationis ad theologiae discretam pertinere. Secundum fundamentum erroris, quo nitentes haeretici, adstruunt trium in Deo personarum opus fuisse humanae naturae acceptationem, illud erat, quod cum Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sint non plures, sed unus Deus, fieri minime poterit, ut a persona absque alia nostram acciperet humanitatem. Quod licet ex his quae paulo ante diximus, corruiere facile possit, duobus tamen exemplis id falsum ostendimus, ut qui theologiae operam non deserunt, rem facillius consequantur. Prima similitudo ex Augustino haec est. Quemadmodum, inquit, in musico concentu tria conveniunt, ars, manus, et chorda, ex his tamen sola chorda resonat, et auribus percipitur; ita ad solam Christi personam humanae naturae spectavit assumptio; licet tam Pater, quam Spiritus sanctus ad assumptionis opus concurrerint. Augustini verba sunt: *Ars dirigit, manus tangit, chorda resonat; operatio in tribus constat: sed sicut pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solam Christum carnis humanae susceptio.*

Altera similitudo a digito desumitur, qui unus existens, tres habet articulos, in quorum medio tantum annulus poni consuevit. Deus autem in sacris litteris nomine digiti significatur: nam Pharaonissapientes dixerunt (Exod. 8): *Digitus Dei est hic*: et Christus ipse inquit (Luc. 11): *Si in digito Dei eicio daemonia*. Hic digitus divinus tres habet personas, et annulus est Christi humanitas: nam quemadmodum annulus circumdat locum quem occupat; ita humanitas in Christo divina circumdedit personam, quod opus intra sua viscera praestitit Virgo sapientissima, de qua dixerat Ieremias (c. 31): *Foemina circumdabit virum*. Cum igitur hic nostrae humanitatis annulus a purissimis Mariae visceribus Spiritu sancto cooperante conflatus, digito Dei, id est divinae naturae inseri debere, non in primo, neque in tertio digiti articulo, sed in secundo, qui est Filius, illum divina prudentia locavit, ideoque solus Filius, non Pater, aut Spiritus sanctus naturam suscepit humanam. Hoc factio catholicae veritatis fundamentum, a causis modo, ob quas ita Dei consilio ordinatum fuerit, examinemus. Sunt enim variae, et scitu dignissimae; duabus tamen potissimum rationibus convenientibus, Filium Dei factum hominem, nonnulli arbitrantur, quarum prima est. Si alia persona praeterquam Filius fieret homo, nomen Filii duabus esset commune personis, et sub ratione Filii unus melior altero foret: quandoquidem unum Dei Filium esse oportebat naturalem, aeterna scilicet generatione, qua dignitate alter, qui non talis esset, necessario careret. Secunda ratio est, quod illum, qui car-

nem induisset, mediatiorem esse inter Deum, et homines oportebat, idque magis Filium, quam alias personas decebat, cum ipse inter Patrem, et Spiritum sanctum aeternae genitus medius existat. Praeterea cum mediatori officium sit intercedere, et patrocinari, idque convenientius Filius apud Patrem, quam Pater apud Filium exerceat, non utique deceat, ut ait Anselmus (lib. Cur Deus homo), Patrem, sed Filium hominem fieri. Aliis tamen videtur, Deum, quoniam sui pectoris arcana revelare mortalibus volebat, Verbum, et arcantum suae mentis, qui est Filius, carnem suscipere voluisse. Nec desunt qui censent Filium ideo incarnatum, quod quemadmodum ei attribuitur vita, sicut ipse dixit (Ioh. 14): *Ego sum vita, veritas, et vita*, et sicut omnia in ipso vitam etiam habent, dicente Iohanne (c. 1), *quod factum est in ipso vita erat*; ita conveniens fuerit universo mundo in tenebris, et morte iacenti vitam et datum a caelo descendere, qui peccati illi principio principium vitae, et fons esset uberrimus. *Retro rediit sol, et addidit regi vitam*, ait Ecclesiasticus (c. 48): quod de homine per peccatum mortuo, et per Christum ad vitam revocato intelligi optime potest. Iure enim rex homo dicitur, qui eum creator potestatem, et imperium in res creatas permisit, a quo, ut in sacris legimus eloquiis, factus fuit, ut volatilibus coeli, et animalibus terrae praesert: unde postea David dixit (Ps. 8): *Omnia subiecit sub pedibus eius etc.* Qui tamen cum a lam felicitis vitae statum, ab altitudine tanti honoris, impetu peccati deiectus occubisset, eum Pater aeternus erecturus, misit Christum iustitiae Solem, qui adderet vitam regi, id est homini rerum omnium domino salutem restitueret aeternam. Quemadmodum enim sub Ezechia sol decem gradibus retrocedens, solutum suae velocitatis cursum cohibuit, et regi annos vitae protulit, ita divinus hic Sol novem choros angelicos relinquens, ad decimam lineam, nempe ad naturam humanam descendit, ut vitam, quam homo amiserat, Deus factus homo restitueret: in eo enim, ut scriptum est, *civitate sumus*. Augustinus (in lib. 50. hom.), quoniam Dei Verbum non solum vitam, sed lux etiam hominum est, scribente Iohanne (c. 1), *et vita erat lux hominum*, ideo ad illum pertinuisse dicit, hominum tenebras, et caecitatem, quam peccati vitio incurrerant, suo adventu illustrare: nam, ut idem Ecclesiae Doctor scribit, ideo venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excaecator; et alibi (super Ioh. 1): *Caro te caecaverat, caro te sanat*. Quam Augustini rationem possumus ab ipsa Filii proprietate stabilire, qui Verbum Patris dicitur, et est. Nam sicut magister discipulos verbo instituit, et eorum ignorantiam loquenti do illustrat; ita Pater aeternus universum hominum genus ab ignorantiae tenebris vindicavit, Verbo suo lucem veritatis tenebris nostris infundens. Qua verbi, et doctrinae similitudine ad idem insinuandum sanctus Thomas (3. p. q. 2. art. 8) utitur. Quod nullo ante ille Theologorum magister maximus Paulus testatus est (ad Tit. cap. 2): *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri erudiciens nos*: et (in Epistol. ad

Ioh. cap. 10): *Novissime diebus istis locutus est nobis in Filio suo*, id est Verbo, quod est Filius. Praeter hac causas aliam addit sanctus Thomas loco superiori in responsione ad secundum argumentum; rationi nempe valde fuisse consonum, Filium incarnari, ut hominis restauratio creationi responderet: nam cum dicat Iohannes (c. 1), *omnia per ipsum facta sunt*, ab eodem Dei Filio hominem, qui, ut diximus, est omnia; vel ut ait Gregorius (Ioh. 29. in Eyang.), *omnis creaturae aliquid habens, refici, et instaurari conveniebat*. Prima creatio, inquit sanctus Thomas, facta est a potentia Dei Patris per Verbum; unde et recreatio per Verbum fieri debuit a potentia Dei, ut creationi recreatio responderet. Quod et ante illum praenotarat Augustinus (Ioh. 10. de nativ.): *Ideo Deus noster Filium suum misit ad hominem liberandum, ut cui dixerat, Faciamus hominem, ipse etiam liberator esset, qui fuerat creator*. Sed egregie, et dilucide id praedixerat Iohannis in persona Filii, loquens in hunc modum (cap. 46): *Ego feci, et ego seram, ego portabo, et ego salvabo*: quae verba videtur esse aliorum verborum responsio, quae superius idem verba protulerat, ubi agens de humani generis redemptione, non praenotat Patrem aeternum, vel Spiritum sanctum, ut ad incarnationis opus accingatur, sed Filium tantum hortatur, qui Dei potens est brachium, quod nonum Propheta Filio aeterno imponit dicens: *Consurge, consurge, induere fortitudine brachium Domini*: quod ideo Propheta dixit, ut quoniam brachium illud, quo homo creatus fuerat, ipsum iam mortuum ad vitam revocare deberet: unde respondet per Prophetam Filius: *Ego feci, et ego seram, ego portabo, et ego salvabo*. Si vas aliquod argenteum, sive aureum forte deformatum, aut frangatur, a nullo melius quam ab eo artifice, qui conflaverat, suae restituitur formae, ut sanctus Thomas (ubi sup.) his verbis docet: *Artifex per formam artis conceptam, qui artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit restaurat. Ita Deus cum hominem creavisset per Verbum aeternum, quod est ars, et sapientia Patris, qua hominem produxerat; consouum erat eundem collapsum, et deformatum per idem Verbum restaurare, ut in eo qui est omnium rerum origo, et archetypus, pristinae restitueretur formae, et quasi iterum crearetur*. Bernardus (serm. 2. de Pent.) aliam rationem superiori aliquid tantum similem adducit, ait enim: Quoniam homo peccati foeditate deformatus fuerat, qui ad imaginem Dei creatus fuerat, ut dixit Moyses (Gen. 1): *Ad imaginem Dei creavit illum*, cum Verbum divinum imago sit Patris, ut scriptum est, *Imago bonitatis illius*; expediens plane fuit humanae deformitatem imaginis pulchritudine imaginis Dei, nempe Verbi divini, reficere et conformari. Nam cum hominis imago facta sit ad imaginem Dei, qui est exemplar, et origo similitudinis, ratio ipsa exigebat, ut exempli vitia per exemplaris virtutes corrigerentur. Quam rationem amplecti videtur Ambrosius (super Psal. 118) dicens: *Imago Dei ad eum, qui est imago venit, et quaerit imago eum, qui est ad similitudinem sui, ut iterum signet, ut iterum conformet, quia ani-*

sisti, quod accepisti. Sanctus Thomas praclare, et ingeniose, ut solet, haec de re in loco iam allegato in corpore articuli sic loquitur: *Conveniens fuit, ut per Verbum veras sapientiae homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiae recesserat a Deo: nam si a principio infelix homo a diabolo deceptus, asserente (Genes. 3.): *Eritis sicut Dei, scientes bonum, et malum*, non solum scientiam, et similitudinem Dei, quam appetivit, amisit, sed vitam etiam ipsam corporis, et animae, ut Doctores interpretantur super illa verba, in quacumque die comederis ex eo, morte morieris; conveniebat certe illius delictum instaurandum fieri per divinum Verbum, quod est Patris sapientia, ut defenderet sapientiam, quam indebita homo appetiverat, et usurpare diabolo assentientis tentaverat. Mos fuit apud veteres, ut militarium tudorum propugnatores, teste Paulo Orsio, pro elicio certaminis clypeos suos in ipso concertationis praescripto loco suspenderent, quod certamen initurus accedens clypeum illius, quo cum sibi certandum esset, lanceae cuspidem tangebant, quo signo clypei dominus se ad praelium provocatum cognoscens, in arenam cum adversario descendebat. Quis est qui nesciat, inter varios divinarum personarum insignes titulos, et gloriosa nomina, potentiam Patri, sapientiam Filio, et Spiritum sancto bonitatem attribuit? Cam igitur Adam in paradiso voluptatis postus sapientiam amiserat, quae est quasi clypeus, et gloria Filii, oportebat certamen inire non Patrem, aut Spiritum sanctum, sed ipsam Dei Filium, cui tribuitur sapientia. Pater autem tunc ille dicebat, ut sanctus Bernardus (in serm. de ado.) ait, quod dixit Iohannes: *Si propter me orta est haec tempestas, procielle me in mare*; quod factum plane cernimus, quando Pater aeternus Filium suum in mare doloris, et acerbissimis prociis, ut illo pro nobis mortem obente, pax et tranquillitas mando pareretur, sicut angeli eo nascentis cecinerunt (Luc. 3): *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Possimus aliam offerre rationem, quae ab eo, quod Filius Patris sapientia sit, non minus apte deducitur. Ad quod primitus statuo, quando tres divinae personae consilium humanae reparationis inierunt, ut in hominibus superiori ex Ruperlo memoravimus, qui dedit Incarnationis consilium, Filium fuisse, qui Patris est sapientia, et consiliarius, quem Isaias vocat (c. 9): *Magni consilii angelum*. Cuius mysterium figuram sustinuerunt, dum fratrem Beniamin in Aegyptum deportabant Ruben, et Iudas; hic vero praesertim, qui patri Iacob, ut Beniamin in Aegyptum descenderet, auctor fuerat: nam ei Iudas promiserat in patriam a se puerum redigendum huius verbis (Gen. 43): *Nisi reducere, et reddidero eum tibi, ero peccati reus*. Unde cum argentea terna in sacculo Beniamin fuisset inventa, velletque Ioseph ad se tanquam pignus manere Beniamin, Iudas dixit: *Ego proprio servus tuus sum, qui in meam hunc recepi fidem: manebat itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, et puer ascendat cum fratribus meis*. Sicut ergo Iudas consilium praebuerat patri Iacob, ut filium Beniamin*

mitteret in Ægyptum, et teneri se indicabat liberare Benjamin, et suam pro illo amittere libertatem, et ad patrem cum fratribus reverteretur; sic etiam Dei Filius, qui in illo divinarum personarum consilio hominem a morte peccati liberandum censerat, atque Deum fieri hominem oportere indicaverat, ultro se obtulit lue poenam delinquentis hominis, dicens: *Ego ero peccati reus*, id est ego pro universo humano genere ero fideiussor, ego pro cunctis peccatoribus satisficiam, et ex libero fiam servus, ut servus homo libertate donetur, et una cum suis fratribus, idest cum angelis, Patrem aeternae gloriae visurus in caelum ascendat. Adoptionis causam sanctus Thomas (in corp. artic. iam alleg.) superioribus causis adducit: *Adoptio enim finis est, quem Deus carnem nostram assumens respiciet. Nulla autem res convenientius fieri poterat adoptio in filios Dei, quam si ipse Patris aeternus, et naturalis Filius ad nos descenderet, ut eius virtute adoptarentur, quemadmodum ait Paulus: Misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Id tamen ante Thomam ita dixerat Augustinus (tract. 2. in Ioan.): *Unicum filium Deus misit in mundum, ut non esset unicuique, sed fratres haberet adoptatos.* Praeterea nemo ignorat, eo quod Christus Dei sit Filius naturalis, illius etiam omnium honorum esse unicuique haerendum, ut ait Paulus (ad Gal. 4): *Quod si filius, et haeres.* Quemadmodum igitur ad haerendum non solum omnia, quae existunt, bona pertinent, sed etiam ius reciperandi ea, quae indebite alienata fuerint; sic cum universa humana natura Dei sit haereditas, et ad eum omnino pertinet, qui tamen per peccatum a suo auctore degenerans in alienam potestatem abierat, Christus tanquam legitimus haeres hominum casum reparaturus, et restauraturus, nostram potius, quam Patris, aut Spiritus sanctus suscepit humanitatem. Ultima demum causa ab Augustino (de Eccles. dogm. in can. sec.) his verbis proponitur: *Illius carnem assumpsit, ut qui erat in divinitate Dei Filius, ipse foret in humanitate hominis filius, ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset aeterna nobilitate filius. Non enim decebat alium esse Mariae in terris, et alium in caelis aeterni Patris existere Filium: quod omnino evenisset, si prima, vel tertia Trinitatis persona hominem assumpsisset: tunc enim ex Virgine natus non modo tempore, sed etiam supposito ab eo, qui esset aeterna generatione Dei Filius, distingueretur. Optavit ergo eadem persona, quae Filius erat aeterna generatione, temporali etiam Dei, et virginis filius existere. Quod subiecto exemplo magis insinuat, et apparet. Cum aliquis doctor iam creatus optat etiam alterius academiae doctoribus describi, vel ut aiunt, incorporari, ut ibi sportulis, et aliis academiae emolumentis fruatur, facile consequitur, quippe nullo sapientiae examine praevio reliquis doctoribus in eo, quem habebat gradu confirmatus annumeratur; sic persona Trinitatis secunda Dei Filius in illa totius scientiae, et sapientiae coelestis academia iam ab aeterno singulari Filii nomine, et titulo insignitus potuit expeditus, et convenien-*

tius in terris filii hominis lauream adipisci, purissimis Virginis visceribus se incorporans, nec tamen titulum Filii Dei, aut nomen amittens. In hac autem comparatione, aut similitudine id invenio discrimini, quod metaphoricè dicitur quis incorporari, quando alterius academiae doctoribus annumeratur; in praesenti autem mysterio proprie, et vere dicitur Dei Filius incorporatus, siquidem fide catholica docemur, eum Virginis sanctissimae corpori illapsam inde carnem sumpsisse: unde Ecclesia canit: *Animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA IV.

Quantum Deus hominem naturae, et gratiae numeribus in eum collatis honoraverit, quae tamen singula, vel omnia non poterunt humanae naturae completere capaciatem, donec illam sibi Dei Filius vivit.

Tam multa, et ampla divinae largitatis in hominem genus beneficia collata sunt, ut ea numero comprehendi non posse, nobilis Neemesius indicaverit, quemadmodum refert Anastasius (qu. 43) his verbis: *Quis poterit effari datus quibus exsuperat?* Prudentius ille philosophus Seneae sublimem dignitatem a Deo concessam homini miratur, quem in hoc pulcherrimo mundi domicilio reliquis animantibus ita praestare voluerit, ut secundas post se partes sortiretur. Moyses creatae universitatis describens historiam, cum ad hominem pervenit, et de loco habitationis agere coepit, Paradisum voluptatis, ubi commode, et suaviter degeret, a Deo praeparatum fuisse recensuit. Tanti enim Deus hominem fecit, ut ante illius creationem hospitium paraverit, mensam struxerit, et omni varietate ciborum exornans, quid iuvare, quidve illi nocere posset, animadverterit, his verbis (Gen. 1): *De ligno scientiae boni, et mali ne comedas.* Non mea haec sententia tantum est, sed Damasceni (c. 11. lib. 2), Gregorii Nysseni (lib. 1. de ho. c. 2), et Philonis Iudaei, assentium, summum mundi auctorem antequam hominem conderet, eo quod omnium rerum dominus futurus esset, domum illi extruxisse pulcherrimam, et locum deliciarum plenum, creatis quoque plurimis ministris praeparavisse, ut cum primum creatus vivere inciperet, integra regni felicitate, ac maiestate princeps omnium a Deo constitutus frueretur. Quanta haec sit hominis dignitas, inde liquet, quod ipsemet Deus ab aeternitate sua, donec omnia condidit, sicut scripsit Moyses (Gen. 1): *In principio creavit Deus coelum, et terram, regno caruerit rerum creaturam; hominem vero, quem ad suam similitudinem formaturus erat, voluit statim cum ipso vitae spiritu rerum quoque omnium habere dominium: qua in re maxime patuit Dei benignitas, quod cum ab hominibus potestate,*

alque opibus excellentibus per famulos, alioque sedulos ministros hospitium ad se venientibus parari, epulaeque condiri soleant, Deus id per angelos homini exhibere noluerit, per se ipsum homini tantum beneficium exhibere dignatus. Constituit enim illum in paradiso voluptatis, ut vulgatus vertit interpret, quem Basilius ibi vocal *hortum in deliciis*, Symmachus *hortum florentem* appellat. Expositio iam habitationis loco, si ad hominis creationem veniamus, multo magis munerum a Deo in hominem collatorum amplitudo, et dignitas elucebit. Quid enim mirabilius, aut laudabilius esse potest, quam tres divinas personas hominem creaturas ante illius creationem commune invisisse consilium? Quaerit, et admiratur Ambrosius, quid maius, aut excellentius in ipsa hominis, quam reliquarum rerum creatione sit, quando de his creandis sacra Scriptura nullum a Deo habitum narrat consilium, in hominem autem formatione ait, divinas inter se dixisse personas: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Cui dubitationi respondet Ambrosius (in Gen.), id ita factum, quod personae divinae hominem sibi conciliare voluerint, communi creationis, et excellentis formae suffragio, dum et similitudinem divinae naturae decernebant. Gregorius autem (in Mor. l. 9. cap. 27) aliam divini consilii assert rationem, videlicet, ut dignitas hominis, quae a ratione, et consilio provenit, et per quam a ceteris distinguitur animantibus, inde magis appareret. Aliter tamen Beda quaestioni respondet: ait enim, reliquas praeter hominem creaturas non egredi seansum limites, nec rationis esse participes, unde illas Deus alio quam hominem modo produxit: nam hominem creaturus, quoniam consilii capax, et rationis particeps, ac tandem viva Dei imago futurus erat, ad opus tantum se accingens inquit: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Theodoretus (in quas. super Gen.) aliam et non vulgarem sectatur viam huius consilii causam assignaturus. Ideo namque divinarum personarum consilium super hominis creatione fuisse opinatur, ut inde pateret, quae deberetur reverentia homini, quem aeterni Patris Filius erat suscepturus, ac propterea tanquam Dei regis purpuram hominis naturam esse venerandum. Superioribus rationibus aliam concedere possumus ex auctoritate Augustini (de civit. lib. 16), Cyrilli (lib. 1. con. Iul.), et Basili (hom. 9. in Gen.) suffultam, dicentium per quae Genesis: *Faciamus hominem*, fuisse tres divinas personas expressas; per reliqua verba, *ad imaginem, et similitudinem nostram*, declaratam divinitatis unitatem. Quemadmodum igitur princeps, sive rex virum aliquem dignitate commendabilem hospitio accepturus omnem solet pretiosam suppellectilem, et domestica ornamenta promere; ita Deus homini, cuius erat assumpturus naturam, thesaurus auae divinitatis aperuit, et ocella sua mysteria revelavit, totam quasi profundus aetherum coelestium divitiarum. Nec tanta liberalitate contentus, benignitas cum eo vult agere, adventientem obviam progreditur, et apprehensa manu in splendidissimo, et divitiis

omnibus affluente habitaculo constituit: scriptum enim est: *Tulit enim Deus hominem, et posuit eum in Paradiso voluptatis.* Ibi ergo secundas sortiri hominem post se Deus voluit, eum proregem, et quasi pro Deum in terris instituens, iuxta illud, *ut praesit piscibus maris, et volatilibus caeli.* Et quoniam Deus homini nomen ceteris creaturis imponendi potestatem permisit, eum tamen Deus vocavit Adam, quod singularem hominis insinuat dignitatem. Receptum enim apud nos est, ut si magnatis alicuius seu principis filius sacro sit baptismate abluendus, nominis impositioni non cuivis, sed viro generis nobilitate, aut dignitate praestanti permittatur; Deus autem magno huic orbis principi, primo videlicet homini, nomen eum foret imponendum, non illud ab alio, quam a se ipso voluit declarari. Si vero quis dicat: Quomodo tam humile nomen ei Deus indiderit; nam si, ut ait Eusebius (cap. 11), idem Adam est quod terrenus, decere hominis dignitate tam abiectum nomen hand videbatur. Verum tamen haec nominis humilitas multo magis indicat hominis excellentiam: terrenum enim vocari eum voluit Deus, et ipsa nominis sui notatione modestiam disceret, ne altius, quam par erat, extolleretur. Dum triumphus olim agebatur, ut refert Tertullianus, Imperatore curru sedentem, non tanta maiestate superbiebat, praetibat praeco, dicens: *Hominem te memento.* Agathocles figuli filius, ut refert Havius Textor, et Ausonius, virtute, et rebus gestis Siciliae regnum adeptus fuit; ne tamen summa rerum potestate intumesceret pristinae conditionis inmemor, inter argentea, et aurea pocula, quibus regis abacus ornabatur, terrea vasa his similia, quae pater eius fugebat, poni mandabat. Ille imitanti hominis ad paradysum accessus Deo comitante ac deducente gloriosus quidam triumphus fuit; ne tamen insoleres hic figuli, ac terrae filius, nam, ut ait Scriptura, *formavit Deus hominem de limo terrae*, eum Deus vocavit Adam, quod terram, sive humum significat; unde fuit homo etiam a Latinis appellatus.

Sed amplissimus ille honor est, qui a Deo datus fuit homini, dum illum formavit ad imaginem et similitudinem suam: ut ad imaginem quoad bona naturae; ad similitudinem quoad ea quae naturam exsuperant. Qua in re fecisse videtur Deus more hominum, qui a se constructis aedificis gentilibus clypeos affligunt, ut inde possit aedium dominus cognosci. Hoc autem insigne, quod Deus homini insculpsit, eius divinitatis imago est, quam animae hominis ita firmiter impressit, ut nisi anima suum esse amittat, deleri non valeat. Inelytus sculptor Phidias, ut historicum traditur monumentis, ita figuram suam in clypeo Palladis a se affabrefacto insculpsit, ut nisi statua demoliretur, minime posset deleri simulacrum auctoris. Sic rerum summus conditor se ipsum in anima hominis ita expressit, ut dum illa manet, ac vivit, de quoque imago, et similitudo in ea duret necesse sit.

Sed relictis nunc aliis rationibus, quae in medium afferri poterant, et quibus homo Dei esse imago declaratur, duae potissimum lectu

digntissimae censetur. Nam quemadmodum Deus omnia in se continet, sic etiam homo rerum omnium quoddam esse compendium: hominem enim Deus formaturus deperisisset videtur quidquid in rebus creatis perfectionis, et excellentiae reperiebatur, ut in illum omnium praestantiam congereret. Nam ex lapidibus esse, ex plantis vivere, ex animalibus sentire, ex angelis intelligere a Deo habet homo communicatum. Praeterea sicut Dei omnipotentia eo progreditur, ut quicquid velit, valeat efficere; sic etiam omnium rerum, quas animus concipere vult, format imagines, ubi non quidem res, sed earum conceptiones existunt. Quare mens hominis alterius mundi intellectus concepti prima videtur esse formatrix: nam et solem, lunam, stellas, elementa, arbores, homines, et innumerabilia mixta, et quod mirabilissimum est, ea etiam, quae fieri non possunt, cuiusmodi chimerae sunt, considerat, et imaginatur, et esse intelligibile eis praebet; verum ex nulla re maior in hominem gloria derivatur, quam ex illa cum Deo similitudine, quae supernaturalis est, quoniam iam haec, quam illa naturalis, de qua paulo ante, ex ipsis verbis Genesios, *Ad imaginem, et similitudinem*, etc. manifeste colligitur, Basiliius enim, Gregorius, Ambrosius, Origenes, et Eucharistus Victorinus, nomen *imaginis* de naturae bonis, quae homini a Deo data sunt, explicandum esse censent; *similitudinem* autem, non de naturae, sed de gratiae donis intelligendam, quae dona imaginem illam tam pulchris coloribus exornant, et perficiunt, ut Deo similis, participata inde virtute, reddatur.

Magna haec profecto, et mirabilia in hominem beneficia fuerunt, longe tamen maius, et admirabilissimum Deum fieri hominem. Quod, ut melius explicemus, in memoriam revocasse iuvabit verba illa Ecclesiastici (c. 17), qui postquam dixerat, *Deus creavit de terra hominem; secundum imaginem suam fecit illum*; protinus adiecit: *Et iterum convertit illum in ipsam*. Scio glossam ordinariam explicare in *ipsam*, scilicet terram; sed nos, Nicolaus de Lyra acule, nostroque argumento accommodatius exponit in *ipsam*, scilicet imaginem, ad cuius imitationem formatus est homo: itaque non contentus Dominus in primo mundi officio hominem creasse, voluit illum sanctificare, et ad id convertit illum in propriam suam imaginem, ut ad ipsam, ut ad prototypum, et exemplar homo respiciens, ei conformaretur, quia, quos Deus sanctificat, ut ait d. Paulus, *vult conformes fieri imagini Filii sui*: inde enim tota hominis felicitas dependet, ut a principio, unde ortus est, nunquam se avertat, sed intime illi coniungatur, et conformetur. Haec humanae mentis conditionem antiqui significaturi, manum e coelo egredientem pingebant, quae circumlum nondum clausum tenebat, in quo pulcherrima virgo illum claudere satagens cernebatur. Manus de coelo egrediens Dei manus est, cuius tribus digitis testis Isaia terrae moles appenditur. Ab hac manu, sive Dei potentia per manum significata, circumlum pendens, coeli, terraeque orbis significabat. Virgo pulchra naturam humanam exprimebat,

quae adeo pulchra, et venusta erat, ut sui artificis expressa imago esset. Haec circumlum claudere procurat, quoniam sicut huius perfectio est, ut suo principio uniatur extremis; ita animae felicitas in eo sita est, ut principio, a quo fluxit, suo nempe auctori Deo, copuletur. At videns Deus primum hominem, ut ipse de terra terrenum, ab aspectu divinae imaginis per peccatum se avertisset, secundum hominem condidit *de coelo coelestem*, ut verbis divi Pauli (1. Cor. 15) utar, quem adeo presse, et stricte medio indissolubili hypostatica unionis vinculo suae propriae imaginis, hoc est Filio, qui expressa imago Patris est, copulavit, ut non posset ab ea, nec per momentum, averti, sed semper esset in illam conversus, et intime ei coniunctus, non solum cognitione, et affectione, sed re ipsa in unitate personae. Hic enim est summus humanae naturae cumulus, supra gloria, et unica felicitas, quae hominem integritat, plene nobilitat, feliciter perficit, et capacitatem eius undequaque explet; quippe altius tolli homo non poterat, quam ut Dei filius diceretur, et esset: quod in Christo Dei Patris naturali Filio cognoscimus unionem humanitatis impletam. Id ut melius intelligatur, pendere etiam iuvabit, quod non semel ipse sum meditatam, curatum scilicet diligenter ab auctore naturae, ut nihil in ea vacuum existeret: hinc enim videmus omnibus huius universalitatis partibus talem inditam ab eo naturam, ut pro huius incommodi restauratione contra ipsas naturae leges gravia sursum, et levata deorsum ferantur: aqua enim, ut vacuum compleat, solet sursum ascendere, et in ipsa mundi creatione cum terra esset immanis, et vacua, conditor rerum vacantiam implevit. Quod etiam rebus arte factis accidit: nam loci in his vacui, in quibus simulacra, aut imagines constitui consuevit, ora quaedam videntur aperta, quae compleri postulant, et vim quodammodo patiuntur, donec impleantur. Nec minor fuit supremi auctoris cura, et sollicitudo, ne quippiam vacuum in ordine supernaturali esset, sed omnia plena, atque perfecta. Unde cum angelorum casu illae sedes vacuae mansissent, eas ab hominibus occupandas, et adimplendas curavit. Deficienti Saul succedere iussit Davidem, et praevicariante Iuda, Matthiam substituit, qui, ut David praedixerat, et Petrus refert, Episcopatum eius accepit. Tandem cum anima Spiritus sancti gratia vacua est, implere illam divina clementia cupiens, inquit: *Aperi os tuum, et implebo illud*. Omnis igitur Dei cura, et omne studium est, vacua, et inania complere, quia tam in naturalibus, quam in supernaturali ordine vacuum dari plurimum est perniciosum. Quare cum in Christi humanitate vacantem propriam personalitatis, quae iure ei debebatur, deus consideraret, illamque, ut sanctus Thomas (3. p. q. 3) ait, et quicunque qui sequuntur, quibus et Caietanus (q. 4. art. 2) adhaeret, nulla posset creatura complere, Deus ipse divinum suppositum humanitatis substituit, et plenissimo divinitatis capaxem hominis naturam occupavit. Naturae enim nostrae tanta erat capacitas, ut ad ipsam Dei immensitatem

proveni a Deo posset, quod in acceptione humanitatis omnibus numeris absolutum fuit. Tunc enim divinitas ipsa tanquam gemma pretiosissima annulo nostrae humanitatis fuit affixa, cuius inaequalitatis pretio, et infuio splendore hominis natura tam pretiosa, et lucida reddita fuit, ut nihil praeter Deum ea excellentius excogitari possit. Quod certe opus, tam inauditum, atque mirabile est, ut nec angelorum perspicacissimus intellectus, ut statim dicemus, illud fuerit consecutus, nec unquam tale fuerit ab hominibus animo fictum, aut fingi cogitatione potuerit. Qua in re notatu dignum est, ad probandam excellentiam mysteriorum, quae proficetur Christiana religio, Ethnicos ipsos, et fabularum inventores, qui tot, ac tanta de suis Diis commentabantur, non eo pervenisse mentientes, quod divini huius mysterii veritas ascendit, si omni admiratione maiores illius circumstantias contempleremur. Haec hyperbole, seu exaggeratione verissima usus est sanctus Ambrosius (in *lib. de Abr.*), qui de illius rebus mirabiliter gestis loquens inquit: *Minus est, quod illa fecit, quam quod iste gessit*. Sed ut magis appareat ratio, quae me, ut ai sentiam, movet, quis nescit veteres a Christi fide alienos homines, ut Deorum curam de rebus hominum significarent, induxisse fabulam Arionis, quem a nautis in mare proiectum humeris delphin excepit, et ad litus exposuit incolunem? Verutamen haec de re, inquit Augustinus, non posse huiusmodi fabulam cum vera Ionae historia conferri, quem etiam in mare coniectum cete suscepit, et tri-duo illaesum intra viscera custodiens deposuit in litore. Romani quoque, ut Romulum inter Deos referrent, a nube fuisse raptum in coelum finxerunt, quod Augustinus (*lib. 3. c. 15. de Civit. Dei*) figmentum fuisse, ac fabulam docet his verbis: *De Romulo, ceteri adulatio fabulosa, qua perhibetur receptus in coelum*; et affirmat Tertullianus (*l. 4. ad Marc. c. 7*) dicens, *ascendit mendacii scalis*. Dissimilis profecto fuit Christi in coelum ascensio, siquidem nec nube, nec curru indiguit, quandoquidem propria virtute sine alterius auxilio orbem conscendit empyreum, iuxta illud Isaiae (c. 63): *Gradiens in multitudine fortitudinis suae*. Unde sanctus Gregorius dixit: *Qui fecerat omnia super omnia, virtute sua ferebatur*. Quare nube tanquam throno usus est, quemadmodum in Actis Apostolorum scribitur: *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum*, non quidem ut eum nubes sustentarent, vel, ut Romulum, in caelum eveheret, sed ille eam rapiebat in sublime, impetrans, ut ascendente consequeretur, sicut notat Abulensis (in *Parad. cap. 8*). Fabula etiam priscorum fuit coelum sustineri humeris Atlantis; ad Isaia de Deo nostro ait non humeris, sed tribus solum ab eo digitis terrae moles appendi. Varias praeterea Ethnici homines finxerunt rerum transformationes, quas Ovidius refert in suis metamorphosis, ut huiusmodi figmentis adeo magnam indicare esse potentiam, ut tanquam naturae universae domini, ac moderatores possent quicquid liberet efficere; nunquam tamen eo progressi sunt fingendo, ut transmutationem de aliquo ipsorum

Deo mente conceperit ita gloriosam, qualis fuit transfiguratio Christi, et splendor vultus eius, de quo legitur (*Matt. 17*): *Et factus est visus resplendit quasi sol*. Inter reliquos Ovidii fabulas, quod, et sanctus Augustinus refert, legitur Iovem amore Danae pulcherrimae puellae accensam in pluviam auri conversam venisse, ut ait Terentius, per alienas tegulas clanculum, et in virginis sinum descendisse. Mendacium certe, ac fabula tota haec res est; non tamen veritatem rei gestae in sanctissima Virgine potest aequare: quoniam, etsi quoddam modum descendendi in Virginis thalamum voluerit divinum Verbum imitari silentium placidae pluviae in terram decidentis, aut in velus dilabentis, iuxta illud, *Sicut pluvia in velus descendit*; non tamen sicut Iupiter auri pluviae immixtus se ipsum tenuiorem reddens, et abscondens, sed absque aliquo medio per se ipsum in natura, et persona propria sanctissimae Mariae visceribus illapsus fuit. Caeca tandem gentium superstilio, referente Luciano (*dialog. 3*), quosdam homines coluit, qui vocabantur heroes, a quibus opera heroica dicta sunt: hi nec omnia mortales, nec prorsus habebantur immortales. Heros enim, ut utriusque linguae periti declarant, est, *qui nec totus Deus, nec totus homo est, et tamen utrumque est*. Hoc quid aliud erat, quam Deus prout cuique libebat effingere? In Christo autem plura, et maiora his certissimum, siquidem non solum est Deus, et homo, sed ex duabus Dei, et hominis naturis compositur, nec tamen plures, sed una tantum est divina personae. Quam excellentiam nulla unquam potuit fictio concipere, quippe Deum cum homine dum vana Gentilitas iungebat, non illum supposito privabat humano, nec id saltem cogitando suspicari humana ratio valet; ut in Christo tanta est mirandi novitas, ut humana natura proprio nudata supposito subeat divinum, et in eo persistat. Quod opus adeo plenum admirationis, et portenti est, ut quemadmodum sacra docet theologia, non potuerit mentis nostrae, vel angelicae naturali lumine intelligi. Haec igitur excellentia, ad quam humana natura per hypostaticam divini Verbi unionem ad divinitatem proventa, ac Filii personae supposita fuit, tantae sublimitatis, ac differentiat est, ut nec profana fictio quoniam aliquid potuerit comminari, aut animo concipere, quod valeat aliquo modo cum incarnati Verbi catholica veritate conferri; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Explicatur multiplex eruditio singularia qualem sacrae Scripturae loca, ad elucidandum sacram Incarnationis arcuam.

Cum sacra volumina multis sint refera testimonis, quibus Incarnationis mysterium aperitur, non quae omnibus nota, et decantata, sed quae singularia magis, et potiora mihi visa sunt, modo referam, et explicabo; nonnulla interim omittens, quibus libri praesentis, et sequentis homilias exornabo. Primum testimonium sit Abrahae cum Deo colloquium, quando sibi deesse domus suae successorem conq̄stus, cum obtulisset Deo osseum sacrificium, sole iam vergente ad occasum sopore correptus obdormivit, sicut legitur in Genesi (c. 15): *Cum sol occuberet, irruit sopor super Abraham.* Illic sopor iuxta Septuaginta interpretum expositionem, fuit alienatio, et animi raptus: sic enim ex Hebraeo translulerunt, *extasis cecidit super Abraham*, cui sic dormienti, vel in posteris raptō revelavit Deus copiosam et fore extantem liberorum, qui ab hostibus in servitum abducti, et infeliciter per annos quadraginta servitio subiecti vitam essent transacturi; in quarta vero generatione auxilio divino adiuti in patriam reverterentur. Non ignoro, quae litterae sensui nimium indulgent, nihil in hoc loco de Incarnationis mysterio cognoscere; et si doctrinam divi Anselmi sequamur (in libro *Cur Deus homo*), convenienter admodum sub hoc quartae generationis nomine Christi generationem intelligemus: ad quatuor enim genera singulae generationis redeuntur. Prima generatio fuit sine viro, aut mulieris consortio, qualis fuit Adami, quem Deus ex limo terrae finxit. Secunda mulieris sine viro, ut Evae, quae ex costa Adami formata fuit. Tertia generandi ratio ex viro, et femina, qualis fuit Abel, et fuit reliqua hominum mortalium propagatio. Quarta denique ex muliere sine viri accessu, qualis fuit aeterni Verbi, sine aliquo in terris patre, ex Mariae visceribus, et Spiritus sancti operatione mirabilis conceptio, et natiuitas. Tunc igitur Deus ait Abrahae, filios eius, nempe veros Ecclesiae fideles, in quarta generatione visitandos, et a laboribus reficiendos per quem, quem missurus erat filium suum nostrae carnis humanitate vestitum, sicut Zacharias de illo loquens dixit: *Visitavit nos oriens ex alto.* Nec inconveniens est, aliquem sacrae Scripturae locum dupliē sensu litteraliter explicari, quod in hac Abrahae promissione videmus accidere, quae tam de filiis, et semine Abrahae, quam de his, qui ex Christi fide futuri erant adoptionis gratia filii, optime declaratur. Diversa sunt sanctissimi Regis, ac sacri valis Davidis de mysterio Incarnationis testimonia, sed quatuor eximia sunt, ex quibus illud (Psal. 64) ita legitur: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Quibus verbis duo potissi-

ma, et excellentissima nostrae religionis arcana complexus est: quippe cum ter nomen Dei profert, divinarum personarum distinctionem, et numerum indicat; cum singulare verbum subiecit, *benedicat nos*, unam, et eandem in tribus personis ostendit esse naturam. Secundo nobis innuit assumendam a Deo humanitatem, dum repetens nomen *Dei*, et pronomen *noster*, addit in hunc modum: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Cum enim tres divinae personae aequaliter nostrae sint, quoniam se ipsas liberaliter nobis praebuerunt, unde Christus dixit de Patre suo, ac de se, et Spiritu sancto loquens (Joan. 14): *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; non potest aliud in verbis Davidicis latere mysterium, dum secundo loco Deum vocat nostrum, nisi sacramentum Incarnationis, per quod singulari, et eximio titulo Filius Patris noster Deus est, eo quod de nostro sanguine, de Virgine nempe sanctissima, nasci dignatus fuerit. Unde multo melius, et verius, quam angeli, Filium Dei vocare nostrum possumus. Quoadmodum enim Ecclesiae catholicae summus pontifex, quamvis universi christiani gregis communis sit Pater, et Pastor, si tamen natione sit Romanus, Florentinus, vel Neapolitanus, suum Romani, Florentini, et Neapolitani appellare solent, quod in illorum regionibus natus, aut ab eis oriundus fuerit: sic Dei Filius, qui Pater est universorum, et tam angelicae, quam humanae naturae Dominus, ac rex, quia tamen ab hominibus, et non ab angelis ortus, carne et ossibus compactus, sicut homo, ideo noster potius, quam angelorum nuncupatur. Ad quod alludens Isaias (c. 2) dixit: *Filius datus est nobis, et angeli dixerunt: Natus est vobis hodie Salvator.* Itaque hanc humanae naturae praestantiam, qua longe superamus angelicam, ipsimet angeli non inficiantur, nec fateri erubescunt. Secunda ratio, ob quam Dei Filius noster esse dicitur, ex Pauli verbis accipitur, dum inquit (1. Corint. 3) iusto alloquens: *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi: quasi dicat, si Christus vester est, quippe illius persona vestra est, quoniam illam Pater aeternus vobis dedit, ut sibi carnem vestram mittere (Joan. 3): Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ergo vestra eius caro erit, vester sanguis, quem a vobis bibi, et manducari praecipit, vestra eius merita, vestra eius siquidem vobis vixit, et pro vobis mortuus est. Secunda Davidis auctoritas est (Psal. 104): *Tu exurgens Domine miserere Sion, quia venit tempus miserendi eius.* Quem locum etsi Genebrardus de Babylonis captivitate interpretetur, magnus tamen Pater Augustinus, et Incognitus, sanctorumque Patrum communiter opinio intelligit de Verbi divini Incarnatione, quam humana natura capiens a peccati liberari miseris, postulabat a Deo terminum promissionis advenire, et initi foederis, atque pacti cum Abraham, de cuius familia se dixerat nasciturum,

expectatissimum tempus iam adesse proponens: nam ubi vulgata legit: *Quia venit tempus, et Paraphrasis Campensis: Venit definitus terminus, et Genebrardus: Venit occasio*, sanctus Hieronymus transtulit: *Venit pactum*, quoniam tempus appropinquaverat in foedere promissum, ut quod pollicitus fuerat, adimpleret, carnem nostram accipiens: *Tu exurgens Domine miserere Sion.* Duplex horum verborum potest assignari sententia, quae a mysterio Incarnationis non sit aliena; prima Cassiodori (in hui. loci comm.), dicens, *exurgens*, quasi dormientem, qui diu subvenire distulerat. Videtur David considerare Deum, sicuti olim Isaias speculatoris officio fungentem: verba Isaias (cap. 21) sunt: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte? Quasi dicere velit, heus tu explorator quota hora noctis est? loquitur autem de nocte illa, quam dixit Paulus (ad Rom. 13): Nox praecessit, dies autem appropinquavit; dies nempe ac lux, quae a mundo omnem caliginem expellet. Bis interrogat Isaias custodem, dicens: Custos quid de nocte? custos quid de nocte? quoniam loquebatur cum speculatore, qui sibi dormire videbatur: qui enim dormit, non solet semel vocatus audire. Cum ergo genus humanum Dei Filium in hac quiete, et somno consideraret, ait: Tu exurgens miserere Sion. Exspargere Domine, tandem ne dormis? quomodo nostrum differis remedium instar dormientis, qui non considerat angustias, et necessitatem invocantis? Hoc in loco contemplari placet, quomodo si per haec verba: *Tu exurgens miserere Sion*, loquens inducat genus humanum, a quo tanquam iope, et mendico misericordiam postulante aeterna salus flagitatur, quomodo, inquam, audeat a somno excitare mundi regem, et clamoribus veram omnium Domini invocare, non quidem ei laetum afferens nuntium, sed ut ad implorantis opem accurat, et quod plus est atque mirabilis, ut vitam suam periculo mortis exponat. Sacra narrat Scriptura (1. Reg. 26): *Davidem elata voce famulus Saulis vocavisse, qui statim accurrentes dixerunt (1. Reg. 26): Quis es tu, qui clamas, et iniquitatem regem? Si ergo his famulis audacia visa fuit vox Davidis; non stupore dignius, ab homine excitari Deum, ut pro se mortis certamen ineat, et hominem a morte liberet, dum ei dicit: *Apprehende arma, et seutum, et exurge in adiutorium mihi?* Ea tamen est tanta Dei benignitas, ut huic audaci hominis petitioni respondeat, quod (Psal. 11) legitur: *Propter misericordiam inopum, et genitum pauperum nunc exurgens, dicit Dominus.* Hoc postulas a me infelix homo, ut exurgam, et mortalem indaens carnem descendam in auxilium tuum: praestabo id libenter, tuoque desiderio plenissime satisficiam, etiam cum propriae vitae dispendio. Secundus sensus citati versiculi est non minus ingeniosus, quem scribit Incognitus explicans (Psal. 101): *Qui enim metaphorice loquendo, quod Deus, antequam incarnaretur, erat quasi sedens, et quiescens, sed in ipsa Incarnatione exturrexit cum antea sedere videretur: nam dum aliquis sedet, non satis apparet eius bona saturata, et membrorum decora com-***

posito; si vero surgit, tunc corporis venustas, et membrorum pulchra compages agnoscitur, ad quod videtur alluisse David, sic de Deo loquens (Psal. 79): *Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse; quasi diceret, Domine qui sedes habes in caelo, et a sanctis spiritibus cernens, teipsum etiam ostende a sede exurgens, ut ab hominibus videaris: id enim nisi feceris, videris quodammodo quiescere, et quoad hominum curam dormire; exurge igitur: Quare oblor-mis Domine, exurge, et non repellas in finem. Haec omnia eo pertinebant, ut Incarnationis mysterium postularetur. Unde sanctus Bernardus (loco cit.) inquit, de angelis loquens: *Habetis sublimitatem altius, sed humanitatem non videtis; frumini ceteri Christi parte, quae caput est, per quod intelligit Paulus divinitatem; pedes tamen sacrae humanitatis non videtis, quia nondum incarnatus est. Dum igitur David petit a Deo, ut stet, et exurgat, in summe prodeat auxilium: Tu exurgens miserere Sion; et dum rogat, ut apparens in terra manifestetur hominibus, dicens: *Manifestare coram Ephraim, Beniamin, et Manasse:* id agit, et precatur, ut Deus fiat homo, quoniam inde salus humani generis, et vita pendebat.**

Tertius Davidis locus legitur (in Psalmo 133): *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion; quae verba Flaminius, et alii interpretes explicant de charitate fraterna, quam David comparat cum rore, qui super montes Hermon, et Sion descendit, et ideo dicitur nomen repeti oportere, in hunc modum: Sicut ros Hermon, sicut ros qui descendit in montem Sion.* Verumtamen magnus Pater Augustinus (in Ps. 133), quod et magis consonat interpretationi vulgatae, banc, quam vult Flaminius, repetitionem non admittit, alioque ideo singulare admodum in his verbis mysterium delegit. Ait enim fieri non posse, ut ros montis Hermon cadat super montem Sion, cum unus ad Hierusalem, et alter trans Iordanem sic longo intervallo disiunctus. Unde cum verba Davidis iuxta litterae sensum intelligi non valent, ad spiritum recurrendum esse respondit Augustinus; hunc autem sensum ab ipsa montis Hermon significatione, et notatione hauriendam esse dicit: *Hermon enim idem est, quod tamen exaltatum, quod repraesentat Deum, qui essentialiter lux est; Sion autem significat speculam, per quam convenientissime Christi significatur humanitas, in qua Dei Filius tanquam in praesidio, et propugnaculo positus hostem humani generis erat profugaturus, impetumque, atque furoris in genus hominum lethaliter saevientis compressurus.* Dum ergo David inquit, rorem montis Hermon cecidisse super montem Sion, significat Dei rorem, qui est Verbum divinum, super Christi humanitatem descendisse, ut illam suae propriae personae supponeret. Huius roris aviditate flagrantibus antiqui Patres clamabant (Isai. 43): *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustitiam: aperiantur terra, et germinet Salvatorum: ac si dicerent: caelum cum terra iungatur, labatur et coelo ros aeterni Patris, ut quem humanitas ex Virgine suscepit, ut antiquae coniunctione na-*

luræ spectatum, et pulcherrimum germen nostræ salutis erumpat.

Quartus locus est (*Psalmi 143*), ubi David clamabat ad Deum: *Emitte manum tuam de alto, et eripe me, et libera me.* Ad intelligendam facilius, et explicandam metaphoram, qua Propheta nunc utitur, referam, quod facere solent in sylvis, atque nemoribus venatores, ut capiunt elephantem, quem vi capi non posse experimento noverant. Hic enim cum tardissimus sit, et corporis mole gravis, quod manus, et pedes eius articulis careant, surgere non valet, si semel concidat: propterea ut commodius, ac securius quiescat, ac dormiat, truncis arborum solet accumbere; sed ante accessum elephantis venator arborem illam, non tamen penitus succidit, qua ille incautus dum nititur, facile perfringit, et arbore cadente colabitur. Accurrit propterea venator, et quasi miserans elephantis casum, verbisque reprehendens casus auctorem, iuvat illam frustra surgere conantem, quem elephas benefactorem arbitratus sequitur mansuetus, et gratus comitatur. Non aliter in mysterio Incarnationis confisgisse Deo considero: nam cum hominis voluntas vi nulla cogi posset, quia libero gaudebat arbitrio, diabolus tanquam astutus, et callidus venator, non ignorans, si caderet semel, non posse suis viribus surgere, nec per totam naturæ facultatem ei posse robur ad restaurationem subministrari, telendum laqueum, et paravit insidias in paradisi arbore velita, ad quam miser homo contra Dei præceptum accedens, et de fractu eius comedens, corporis, et animæ bonis privatus profusus concidit. Sed edacens condolens miseriam divina clementia, iacenti homini dexteram suam, ut surgeret, porrexit, Filium mittens æternum, quod David olim petebat, dicens (*Psalmi 143*): *Emitte manum tuam de alto, et eripe me, et libera me de aquis multis.* Quem locum aliter etiam possumus explicare: multa enim cum proprietate vocatur a David Filius Dei manus Patris: nam quemadmodum manu facit artifex opus, et manu quisque dona sua distribuit; ita Pater æternus per Filium suum omnia, quæ in mundo sunt, operatus est, ut ait Apostolus (*ad Heb. 4*): *Per quem fecit et sæcula, et per eundem dona suæ gratiæ hominibus largitur, sicut scriptum est, debet dona hominibus.* Quemadmodum etiam manus est, quæ arripit prolabens, et ab hoste defendit, vultura, et iectus prolabens; sic Dei Filius fuit manus fortis, quæ corripitens gladium, crucem nempe suæ passionis, adversarium nostrum pulsans, et verberans, eum tanquam infamem a possessione depulit, ut ipse dixit (*Ivan. 12*): *Nunc princeps huius mundi cecidit foras.* His ita præmissis mirabilis videbitur metaphoram, qua utitur David, clamans ad Deum (*Ps. 143*): *Emitte manum tuam de alto, eripe me de aquis multis.* Considerat David hominem, quem aquæ miseriarum ore tenuis circumfusæ comprimerent, qui iam submergendus, et aquarum impetu obruendus clamaret ad Deum, ut mitteret manum suam de alto, et de aquis eriperet. Cui divina benignitas brachium extendit, venpe Filium suum præbuit, qui hominem

a morte liberaret. Sed quemadmodum, qui in aquis periclitanti manum extendit, eam in periculo positi, ita fortiter solet apprehendere, ut non raro qui auxiliari venerat, alterius egeat auxilio, atque etiam interdum in undis vitam amittit, eo superstitie quem liberare procuraverat; ita etiam in mysterio Incarnationis Deo videtur accidiss, manum suam ad hominem liberandum porrigenti, quam ille tam vehementer, et fortiter indissolubili unionis hypostaticæ nodo apprehendit, atque retinuit, ut auxiliatorem suam in profundum aquarum, id est, in tribulationes innumerabiles, et labores immensos, in ipsam denique mortem detruserit, atque demerserit. Quibus dum obrutus et conflictatus Christus ad Patrem suum clamavit (*Ps. 68*): *Salvum me fac Deus, quoniam intraverant aquæ usque ad animum meum: Infixus sum in limo profundi, et non est substantia: ac si diceret, adverte Pater æterne, quod hominem liberaturus, qui iam peribat, cum accesserim, tanto versor in periculo, ut parum absit quin vilam amittam: porrige igitur mihi dexteram, sicut illi porrexiisti, ne fluctibus tavorum laborum submersus emoriar. Pater tamen propter hominem deserit Filium, ipso dicente (*Matt. 27*): *Ut quid me dereliquisti?* et mortem subire sinit, non extendens manum clamanti, et in tanta miseriarum tempestate fluctanti. Quæ res mihi videtur fuisse divinæ charitatis tantus excessus, ut altius non valeat exurgere, quando servum liberaturus proprio Filio non peperit, in eam aquam proficiens illum, cuius impetu obruendum non ignorabat. Regum tradit historia, mulierem quandam præ nimia fame, postquam alterius filium devoraverat, abscondisse proprium, et noluisse eum prode, quoniam natum e suis visceribus filium contemplata exhorruit proprio sanguine impias manus foedere. Sed amor Dei erga nos tantus est, ut de nostra, vel eius Filii salute dum agitur, potius Filium suum quam nos mori permittat. Sponsa in Canticis de hoc mysterio pluribus in locis aperte locuta est, ex quibus duo præsertim notata digni sunt. Primus (*ex cap. 5*), ubi amantem sponsum alloquens ait: *Dilectus meus candidus, et rubicundus;* quæ verba aliquot expositoris de corpore Christi pulchritudine interpretantur, qua cum David amicus hominibus præstaret dicit (*Psalmi 44*): *Speciosus forma præcelsi hominum.* Sed ut proprietates ac veritas horum verborum, quibus sponsa nititur, magis eniteatur, advertendum est, pulchritudinem esse, ut Cicero (*lib. 3. Tuscul.*) definit, partium congruentiam eam quadam coloris suavitate; inter colores vero candidus, et niger extremi sunt, unde neuter illorum solus ad producendam venustatem perfectam sufficere potest: at candidus cum rubicundo colore medium inter duo extrema utrinusque participem efficit, ut docuit Aristoteles (*lib. 1. Meth.*), quæ commixtio colorum rem cui adhaeret, reddit valde decoram, et visui iucundissimam. Propterea sponsi sui pulchritudinem sponsa declaraturam inquit (*Cant. 5*): *Dilectus meus candidus, et rubicundus.* At quamvis hic sensus plurimum litteræ consonet, ego tamen puto sponsam sub*

candidi et rubicundi metaphora fuisse de mysterio Incarnationis locutam: quoniam sicut corporis pulchritudo, cum bona partium congruentia, a coniunctione coloris candidi et rubicundi splendens provenit; sic altissimum hoc coalescit Incarnationis mysterium ex unione Verbi, quod, ut Sapiens (*Sap. 7*) ait: *Candor est lucis æternæ,* cum humana natura, quæ colore rubicundo significatur: nam ex carne et sanguine purpureo sive rubeo et composita est, et ab Adam propagata, qui idem est quod terrenus et rubeus, seu ex terra rubeunte formatus, ut sanctus Hieronymus (*de nom. Hebra.*), et Nicolaus a Lyra (*in lib. de differ. vet. et novi Testam.*) notaverunt. Vocans igitur sponsa candidum, et rubicundum sponsum, indicat Verbum divinum suum esse dilectum, quoniam carne nostra vestitus homo pariter et Deus existebat quod tantæ dignitatis, et excellentiæ est, ut nullam aliam sponsa poterit proferre maiorem.

Secundus locus in Canticis legitur, ubi magno accensa desiderio sponsa videndi Filium Dei hominem factum, in hæc verba prorupit (*Cant. 8*): *Quis mihi det te fratrem meum surgentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deoscer te?* Primum ait sponsa. *Quis mihi det:* quippe illa optime sciebat non alio quo pretio, vel aliqua emptione illum sibi posse comparare, quoniam nulla unquam opera fuerunt, quæ Verbi divini Incarnationem mererentur, adeo ut sanctus Augustinus (*in l. de Prædest. Sanct. et in lib. de Correct. et Grat.*) dixerit: *Nec ipsamet Christi humanitatem meruisse hypostaticè uniri.* Ubi eam comparat unionem cum prima gratia, quoniam utraque sub meritum non cadit. Secundum quod ait sponsa, est, *Quis mihi det te fratrem meum,* quibus verbis donari sibi, et esse fratrem optat: si enim frater eius esset, necesse quoque erat, ut ex illius carne, ac sanguine, et eiusdem cum ipsa originis futurus esset. Unde communem omnium bonorum inter ipsos hæreditatem fore oportebat. *Quis mihi te, det te fratrem:* tunc enim tuas mihi tu communicabis divitias, ego tibi meam inopiam; tu mihi tuam magnitudinem, ego tibi meam parvitatem; tu maiestatem tuam, ego tibi humilitatem meam; tu præbebis mihi requiem, ego tibi suggeram labores: tu denique Patris celestis immensa bona largieris, ego tibi patris mei terreni, et miseriam calamitates impartiar. Tertio sponsa Filium desiderat parvulum et surgentem ubera matris, quoniam sic securior erat, venia culpæ: parvulus enim, cum indignatur, levi quovis munere, aut verberum blanditiis placare, et in nostram gratiam convertere possumus. Addit etiam, *ut inveniam te foris,* ubi quod cupit sponsa, videtur Dei naturæ repugnare: nec enim si Deus est, foris esse potest, cum ipse insit omnibus rebus, et in omni loco sit præsens, ut David fateatur (*Psalmi 138*): *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ads. Quare, si omnia Deus sua immensitate complet, quomodo foris esse potest? Respondet s. Dionysius Areopagita: *Audendum est hoc pro veritate dicere,**

quod Deus ex rei charitatis extasim passus est: quod Christi verbis consonat, dicens (Ivan. 16): Exiit a Patre, et veni in mundum. Ad naturam Dei pertinet esse immortalem, impassibilem, æternum, fortem, divitem; et quoque egressio Filii a Patre æterni pectore, ut mortalis, passibilis, temporalis, pauper, et imbecillis fieret, nihil aliud fuit, quam ab illa sua natura ad aliam transire, et solitum suæ divinitatis ordinem transgredi: quod cupiebat sponsa, dicens, *ut inveniam te foris,* hoc est, ut si prius te tanquam leonem, nunc tanquam agnum videam: si tonantem prius, et fulgurantem in terris: si prius a regali potentia throno fulmina vibrantem, nunc in canabulis flectentem, et singultientem; ac tandem si prius severum et intracabilem, nunc benignum, affabilem, et humanum: ut deoscer te, et meum cum tuo ore contingens, eris tui habitus verus salutis, et vite spiritus mihi communicetur. Optime enim sciebat sponsa, olim spiritum, qui ab ore Dei prodebat, primo omnium parenti vitam infusam, sicut legitur (*in Gen. 2*): *Inspiravit in eum spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem;* quod etiam homo iam factus Deus observavit, ut suis discipulis Spiritum sanctum infunderet, quod eis divino sui oris afflato impartivit. Insufflavit, et dixit (*Ivan. 21*): *Accipite Spiritum sanctum.* Hanc ergo divini spiraculi a Dei ore procedentis virtutem sponsa cognoscens, cupiebat sponsum osculari, ut illius spiritus, et vite particeps fieret.

Illustris etiam admodum est locus ille Isaia, ubi Deus loquens cum daemone, minatur ei Filium sui Incarnationem, dicens (*Isai. c. 37*): *Ponam ego circulum in naribus tuis, et froenum in labiis tuis, et reducam te in viam per quam venisti.* Ubi Propheta iuxta litteram loquitur de magno illo tyranno Senacheribus, qui populum Dei magnis angustiis obsessum tenebat. Verumtamen per eum significabat Propheta crudelissimam diaboli stragem, atque tyrannidem, qua homines persequerentur, in dies augens furorem, et immanitatem: unde considerans Deus, quanta illius esset ferocitas, et fortitudo adversus mortale genus, inquit, alloquens Iob servum suum, non posse tam indomitate bestiae impetu coerceri, et eodem genere loquendi utitur, quod Isaias usurpavit: ait enim ad Iob: *Numquid ponas circulum in naribus eius, aut armilla perforabis nares illam eius?* Quæ verba iuxta veteram morem dicta sunt, qui ad ferocia, et indomia animalia facilius domanda, circulo ferreo, sive anulo pro freno naribus immisso utebantur: unde ait, poteris ne ponere circulum in naribus inferni draconis, ut tantus furor quiescat, et crudelitas comprimat? Non utique. Tu enim potestas id assequi non valet; virtus autem mea facile, ac integre id præstabit, quippe illius tam effrenum arrogantiam, et libertatem coercere mihi in animo est, iuncto naribus circulo, quo captus, et impeditus movere pedes aut manus ad nocendum non valebit. Circulus hic Incarnationis mysterium erat, ut auctor Silvae Allegoriae cum explicat, quo circulo Deus

